

Handwritten text on the right edge of the page, including numbers and symbols, partially obscured by the binding.





DISPUTATIO IURIDICA

DE  
PROROGATIONE  
JURISDICTIONIS.

QUAM *1633, 3.*  
*In celeberrimâ Argentoratensium*  
*Academiâ,*  
D. O. M. A. *23*

PRÆSIDE


*Viro Amplissimo & Consultissimo,*

Dn. GEORGIO DAVIDE LOCAMERO, J. U. D. & P. P. Præceptore ac Fautore suo omni observantiæ cultu æternum prosequendo,

*In Auditorio Ictorum, ad diem 28. Mart.*

Publicæ Disquisitioni submittit

FRIDERICUS SCHUMMANNUS,  
Bragâ-Silesius.



ARGENTORATI,

Typis EBERHARDI WELPERI

ANNO M. DC. XXXIII,



CANONICUM



IUS CIVILE



FORTITUDO



Collegium Argentinense.



TEMPERANTIA

743



GENEROSISS. NOBILISS.  
ALTAE ERVDITIONIS ET VIRTVTVM  
*laude Clariss. Dnn.*

- Dn. SIGISMUNDO, Lib. B. in Herberstein / &c.
- Dn. ULRICO WENCESLAO, L. B. à Viberstein / &c.
- Dn. GEORGIO MAURICIO, L. B. à Kottulinsky / &c.
- Dn. BERTRAM à Rangow / Eq. Holsat.
- Dn. CLAVS ab Mefeldt / Eq. Holsat.
- Dn. FRIDERICO à Geshorn / Eq. Siles.
- Dn. ASMAN ab Hock / Eq. Siles.
- Dn. ALBERTO à Saurmann / Eq. Siles.
- Dn. FRIDERICO ROSA à Roseneck.
- Dn. GEORGIO PASSELIO, Olsnâ - Silesio.

*Dnn. suis Gratosissimis & devotâ animi  
veneratione suspiciendis,*

Dissertationem hanc Juridicam

*Submissa subjectionis & cultûs ergo  
offert & consecrat*

FRIDERICHUS SCHUMMANNUS,  
Brægâ-Silesius, A, & R.





JEHOVA!  
 DISPUTATIONIS  
 DE  
 JURISDICTIONIS  
 PROROGATIONE

THESIS I.



Uæstio Judicij duplex est, Juris & Facti. Circa illam occupatur Jurisdictio seu Magistratus Jus dicens, respondendo ad Quæstionem an Jus sit? Circa hanc Judex Datus, vel aliquando Magistratus ipse dum judicat, & ad Quæstionem, quâ inquiritur, an verum sit id, quod litigans intendit, respondet, quò Litigator de jure suo expertus Jus dictum facto in Judicium deducto applicandum per legitimos trames consequatur.

II. Jurisdictionem à Jure dicendo dictam *arg. l. 1. l. 10. l. 14. l. 18. & l. ult. ff. de jurisdict.* cuius Latini Sermonis haud ignaro dicere in proclivi est. Elisa quippe & elusa jam pridem Fr. Acc. Gl. Br. & horum sequacium *in l. 1. d. t.* opinio; qui à Jure & Ditione, quod sit juris potestas, eam dici putant. Siquidem tum à Nominis figurâ; tum à voce Ditio est alienissima. Ubivis enim locorum in legibus legitur Jurisdictio, nusquam Juris-ditio. Ditio verò

denotat potestatem dominandi vel Privatam Domini in Servos *l. 2. C. de Libert. & eor. liber.* vel Publicam solius Principis propriam *§. 1. proæm. Instit.*

III. In definiendâ Jurisdictione Dd. variant. Nos Jctorum facilè Principis Cujacii Definitionem, quâ se nullam meliorem composuisse scribit, adprobamus, quæ hæc: JURISDICTIO est notio Jure Magistratûs competens: *in Parat. ff. & C. de jurisd.*

IV. Variant quoque Dd. Polypum imitantes in ejusdem Jurisdictionis Divisione. Nos tantum duas potiores adducemus. Et I. quidem ratione Materiæ seu Objecti circa quod occupatur, dividitur cum in Civilem & Criminalem; cum in Voluntariam & Contentiosam *l. 2. ff. de offic. Procons.* II. ratione subjecti cui inhæret distinguitur in Propriam sive ordinariam, quam quis jure suo habet *l. 5. ff. de jurisd.* & non Propriam, quam quis sive per se & simpliciter, sive secundum quid, alieno habet beneficio *d. l. 5. ff. de jurisd.* Quæ rursus subdividitur in Mandatam seu delegatam *l. 2. & l. 6. ff. d. t.* & Consensu Partium prorogatam *l. 1. C. de jurisd. omn. jud.* Hanc posteriorem speciem, Deo, qui & res penitus desperatas donare & consummare suæ virtutis magnitudine potest, freti, in præsentiarum sub Disquisitionis publicæ limam revocabimus, ducti discendi cupiditate, quæ secundum Julianum sola vivendi ratio optuma *l. 20. ff. d. fideic. libert.*

V. Cùm tralatitium sit Veritatis facem haud rarò vocabulorum esse cognitionem à Definitione tanquam à capite ad calcem progrediemur. Prorogare idem est quod ampliare, Donell. *lib. 17. comm. 1. C. c. 10.* extendere, proferre, & protrahere sec. Cujac. *in not. ad l. 2. ff. de judic. cum arg. d. l. 2. §. 2.* ubi tempora dicuntur prorogari h. e. profer-

745.  
proferrisitem *l. 19. f. pr. ff. deleg. 1. l. 24. m. pr. ff. locat. cond. cum*  
authoritate Romanæ suadæ Ciceron. *in 3. Verrin. Plin. lib.*  
*15. c. 13. & Horat. epist. 1.*

VI. Hinc Jure Canonico non inconcinnâ translatio-  
ne inducta appellatio Prorogationis Jurisdictionis *c. 40.*  
*X. d. off. & pot. judic. deleg.* Prorogare autem Jurisdictionem  
est extendere jurisdictionem extra terminos, & in  
eum Judicem, qui aliàs ratione suæ Jurisdictionis in-  
competens, consentire, atque consequenter forum apud  
eum sortiri: *l. 15. l. 18 ff. d. jurisd. l. 1. l. 3. C. cod. l. 1. l. 2. & l. 74.*  
*§. 1. ff. de judic.*

VII. Qui consensus eligentium incompetentem Ju-  
dicem, licet primâ fronte & in leges impius esse & ad  
injuriam & contemptum Judicis ordinarii & compe-  
tentis spectare videatur. Lege tamen & ratione certa  
litigaturis indulgetur.

VIII. Lex ea audit Lex Julia Judiciorum seu Judicia-  
ria privata: cujus fragmenta & vestigia haud obscura ex-  
tant *in l. 9. §. 2. l. 41. pr. ff. de recept. qui arbitr. recep. & l. 2. §. 1.*  
*ff. de judic. ibique Fr. Accurs.*

IX. Ratio à prorogationis fine petita urgentissima; ut  
prorogatione istâ litigaturi in Concordiam, quâ nihil un-  
quam inter Homines præclarius existit & præstantius  
*Nov. 30. c. 1.* reducantur, & lites, quarum finiendarum  
commodum non privatum, sed publicum est *arg. l. 1. C. d.*  
*jurejur.* facilius expediantur & sopiantur; quasque dimi-  
nuere & abbreviare ad judicis pertinet officium *l. 21. ff. de*  
*reb. cred.*

X. Prorogationem communiter faciunt quadrupli-  
cem: de persona ad personam: de causa ad causam: de  
tempore ad tempus; & de loco ad locum. Nos autem re-

licitis tribus posterioribus, solam primam hinc assumimus, quæ sec. Vant. *tr. d. nullit. process. & sent. t. ult. n. 78.* & Marant. *d. ord. judicior. p. 4. dist. 12. n. 3.* fieri dicitur, cum unus Judex pro alio assumitur, vel quod eodem recidit, cum Jurisdictio, quæ in subditos competit, ad non subditos extenditur, Sichard. *in d. l. C. d. jurisd. n. 11.*

XI. Veteres Jurisprudentiæ Cultores & Commentatores, prorogationis nomine eam potissimum intelligebant, quæ est de Tempore ad tempus, v. g. si Judici ad certum tempus, puta annum, dato communi litigantium voto & consensu ultra statutum dicti temporis terminum Jurisdictio prorogatur: *l. 2. §. 2. ff. de judic.* Verum ex eo parographo Jurisdictionis prorogatio minimè probatur, eo, quod agat de Judice dato, qui est Pedaneus seu specialis Judex *l. 15. pr. ff. de re judic.* Cui Judici, cum nulla sit Jurisdictio *l. 5. pr. ff. d. t.*, consequens est, eam nec prorogari posse.

XII. Ratione prorogantium, ut Jurisdictioni Incompetentis Judicis (cujus aliàs Consensus quoque exigitur sec. Gl. *in d. l. 2. §. 1. ff. d. judic. & in c. G. & B. X. d. for. compet.* dum invitus cogi non possit, ut suam Jurisdictionem prorogari patiatur) subjiciantur, præcipuè requiritur Consensus, vel Expressus pacto seu conventionem nudâ. *l. 15. d. l. 18. pr. ff. d. jurisd. d. l. 2. §. 1. & l. 74. §. 1. ff. d. judic. l. 13. §. 4. ff. ad Sctum Trebell. & l. 28. ff. ad municipal.* vel Tacitus arg. *l. 1. in fin. C. d. jurisd. omn. jud.* declaratus reipsâ sive factô, puta si Reus ad Extraneum Judicem vocatus, ultrò compareat nec exceptionem Incompetentiæ seu fori declinatoriam opponat, sed hac neglectâ Defensionibus aliis in causâ principali aliàs adhibendis utatur, atque hac ratione litem contestetur, qua contestatâ amplius exceptio-



ptionem fori declinatoriam opponere nequit *l. 52. pr. ff. d. judic. l. ult. C. de except. & l. 2. C. sentent. rescind. non poss.*

XIII. Consensui amica Scientia & Voluntas; inimicus Error & Vis. Quid enim tam contrarium consensui est, quàm Error, qui Imperitiam detegit *l. 15. ff. d. jurisdict.* Quapropter nec Errantes, nec Vi coactos (puta, si Judex litigantem de fori incompetentiâ excipientem, ac ad forum competens provocantem, litem apud se contestandam vi adhibitâ compulerit) Judici extraneo & non suo subijci planum est: *arg. d. l. 18. ff. de jurisd. & d. l. 2. pr. ff. d. judic.*

XIV. Adversarii etiam Dolo, qui ut plurimum Vim præcedit, aut ejusdem Comes est, inlectum & compulsum, ad fori competentis renunciationem, nequaquam incompetentis Judicis Jurisdictioni subijci, sed prorogationem istam vitiosam & nullam esse arbitramur.

XV. Occasione eorum, quæ jam dicta, quæstionem multis retrò seculis agitatam, nec tamen satis expeditam, ventilandam proponere lubet: an videlicet Judicis Incompetentis nudâ litigantium conventionione electi, Jurisdictio eo modo prorogata censeatur, ne eligentes poenitentiâ ducti à conventionione resiliere & ad competentem & proprium Judicem redire possint? Nos imprimis auctoritate responsi Africani, quod legitur *in l. si convenierit, 1. 8. ff. d. jurisdict.* moti, in castra eorum concedimus, qui censerent, litigaturos omninò resiliere posse, nec compelli stare conventioni.

XVI. Accedit, quòd auctoritatem Africani non defugiant magni nominis Jcti Cujac. *ad d. l. 18. lib. 7. ad African. in med. & Vult. in explanat. l. 1. C. de jurisd. n. 40.* Nec enim moramur *l. si quis 29. C. de pact.* ad quam tanquam  
ad Asy-

ad Asylum quoddam confugit Joh. Coras. *in d.l. 18. & lib. 4. misc. c. 5.* statuens Justinianum Imper. *in d.l. 29.* Africani responsum reprobasse. Verum fallitur & fallit. Alia enim facti species *in d.l. 29.* alia etiam *in d.l. 18.* proponitur: quæ facti diversitas, diversam meretur decisionem. *In d.l. 18.* agitur de conventionione, quæ pertinet ad obligandû Reum ut coram extraneo compareat iudice: *in d.l. 29.* talis proponitur conventio, quæ spectat ad liberandum actorem à necessitate conveniendi reum coram Iudice ipsius privilegiato: proniora autem Jura ad liberandum, quàm ad obligandum aliquem *l. 47. ff. d. O. & A. Boc. in tr. d. juris. lib. 1. c. 7. n. 38.*

XVII. Ab hac quaestione & illa dependet: quousque consentientibus in Jurisdictionem incompetentis Iudicis poenitere & à conventionione resilire liceat? Nos *arg. d. l. 18.* cum Paul. de Castr. *in d.l. n. 5.* Joh. Coras. *n. 4.* Zas. *n. 3.* Cujac. *d. loc. & Vult. in d. l. 1. C. d. juris. n. 150.* respondeamus, poenitentia locum esse usque ad litis ingressum. Quamprimùm namque prorogantes coram incompetente iudice compareant, sui que copiam in prorogato foro faciunt, Iudex aditus censeatur, etiamsi lis nedum contestata sit: *arg. d. l. 18. vers. priusquam adiretur: & l. 22, §. eo a. tempore. 5. ff. solut. matrim.*

XVIII. Facit ad hæc, quod & ex usu ac iudicio Camerae Imperialis, & consuetudine fori notoriâ, Iudex aditus censeatur, simulac utraque litigantium pars sui copiam fecit, & coram Iudice comparuit, licet Lis nondum sit contestata vel Citatio emissa: Rutger Ruland. (*ubi nonnulla præjudicia Cameralia laudat*) *in addit. ad process. ioan. Ferrariens. & Montan. p. 2. lib. 1. c. ult.*

XIX. Silentii supparò propter insignem in foro usum  
hic

hic ne utiquam involvendum, extra omnem dubitationis aleam positum esse, quod is, qui ad judicem incompetentem in Jus vocatus comparuit, & neglectâ Exceptione Incompetentiæ seu fori declinatoriâ, aliam Exceptionem dilatoriam opposuit, eo ipso in Judicem incompetentem consensisse ac Jurisdictionem ejus prorogasse dicatur: Zanger. *in tr. de Except. p. 2. c. 1. n. 3. & seqq.* ac Joach. Mynsinger. *cent. 4. obs. 27.*

XX. Ad Prorogationis formam & modum, (qui ex mente cùm Africani *in d. l. 18. ff. d. jurisd.* cùm Ulpiani, *in d. l. 1. ff. de judic.* duobus absolvitur, puta Conventione litigatorum & Judicis electi aditione) pedem si proferamus litem movent Dd. practici, & mediam Viam ingressi (quæ aliàs, ubi par in utrisque extremis militat ratio, eligenda est, *arg. §. ult. l. quib. ex caus. manumitt. non lic. & §. 25. l. d. rer. divis.*) distinctione pugnant. Toties enim Judicis electi aditionem esse necessariam dicunt, quoties conventio litigatorum de adeundo Judice incompetenti interpositâ stipulatione formata firmataque fuerit. Hoc casu ex mente eorum facta Prorogatio ab initio statim firma tenet, & poenitens seu contraveniens actione ex stipulatu conveniri potest ad præstationem ejus, quod alterius litigatoris interest, Judicem electum non fuisse aditum: Jason *in d. l. 18. ff. d. jurisd. n. 24.* & Zas. *ibid. nu. 12.*

XXI. Sin verò nudâ tantùm Conventione seu pacto facta fuerit Prorogatio, contrarium obtinere volunt; cùm ante aditum Judicem, cujus Jurisdictio competens non erat, poenitere & à conventionem resilire, atque ad forum competens seu ordinarium Judicem redire litigatoribus Legis autoritate sit liberum.

B

XXII.

XXII. Sed facilè hîc est agnoscere æquivocationem in verbo NECESSARI II. Quod alibi significat necessitatem, qua quis adstringatur ad prorogationem faciendam: alibi indicat necessarium requisitum ad hoc ut prorogatio sit plenè facta. Cæterùm non minùs nudâ conventionem, quàm stipulationem prorogationem fieri rectè dicemus. *arg. eorum qua sup. th. 12. dicta fuerunt.*

XXIII. Aliam in foro nobilitatam quæstionem discutiemus: Si Litigatores in Judicem Ordinarium, qui secundum LL. aliàs est competens, consenserint, solemnî & expressâ annexâ Protestatione, de non consentiendo & prorogando ejus jurisdictionem, nisi in quantum & quatenus de jure tenerentur, quæritur; an postquam Judex aditus eique Libellus oblatus fuit constiterit, Judicem aditum non esse competentem, sed extraneum, nihilominus beneficio adjunctæ Protestationis litigatoribus pœnitere, Judicium declinare, & ad Judicem competentem redire liceat? Nos affirmativam tuebimur.

XXIV. Communi namque Dd. calculo probatum, Aditionem & comparitionem coram Judice Incompetenti, tùm demum Litigatori præjudicare & nocere, quo minùs voluntatem mutare atque Judicem aditum averfari possit, si justo ductus errore Judicem adierit, & Exceptionem fori declinatoriam ex ignorantia capite omiserit: Paul. de Castr. *in d. l. 1. C. d. juridic. omn. judic. n. 5.*

XXV. Cum itaque hoc à veritate non sit alienum, ubi Litigator de futuro errore & ignorantia expressè non fuit protestatus; multò magis ad veritatem accedet, si expressâ protestatione sibi prospexerit, *arg. l. expressa 195. ff. d. R. l. ibique Dec. & Gadd. in comment. ad l. 3. ff. d. V. S. n. 45.*

XXVI.

XXVI. Disquisitionis locum jam sibi vendicat, quoniam incompetens Judicis Jurisdictionem prorogare possint; Hic Cynosuræ & Canonis instar tenendū, quod quilibet habens liberam rerum suarum administrationem, & legitimam in Judicio standi personam, in extraneum Judicem consentire, ejusque Jurisdictionem prorogare vel extendere possit.

XXVII. Removentur igitur Furiosi & Servi *l. 5. ff. d. R. l. 13. ff. si quis caut. judic. sist. caus. fact. l. 6. & l. 7. C. d. judic.* Pupillus & minor XXV annis alieni Judicis Jurisdictioni se subicere non possunt, nisi vel Tutoris & Curatoris autoritas interveniat. *l. 4. C. d. auth. prestand. l. 1. & l. 2. C. qui legit. person. stand. in judic. hab. vel non & §. 2. l. d. Curatorib. vel subjectio & Prorogatio ista iisdem omninò & valdè sit utilis; sec. Gl. & Bl. in d. l. 1. C. d. jurisd. omn. judic. n. 6. laudante Felin. in d. c. P. & G. 40. X. d. offic. & pot. jud. deleg. quibus ad stipulatur, Vultei: in d. l. 1. n. 133.*

XXVIII. Tutorem verò & Curatorem, cum Domini loco habeantur, sese in causâ Pupilli & Minoris subicere extraneo Iudici posse, non est quod dubitetur *arg. l. 7. §. 3. ff. pro emptor. l. 56. §. 4. ff. d. furt. l. 27. ff. d. administr. tutor. & l. 157. pr. ff. d. R. l.* Quinimò & Procuratorem, si modò vel à speciali mandato fuerit instructus, vel liberam omnium bonorum administrationem habeat, Judicis incompetens Jurisdictionem prorogare posse constat per text. express. *in c. cum olim 32. X. d. offic. & pot. judic. delegat. arg. c. 4. & c. 5. de procurat. in 6. & l. 60. §. 4. ff. mand.*

XXIX. Non satis expeditæ quæstionis est, an & Clericus Jurisdictionem Judicis Laici (alterius enim Clerici Judicis perinde atque sui jurisdictionem seu audientiam prorogare posse tradit Hostiens. *in summar. aur. X. d. offic.*

*& pot. jud. deleg. § quibus modis. n. 10. in fin. pr.)* prorogare ac in Eum consentire possit? Jure CC. antiquiorum, & Justiniano Jure cum Episcopò consentiente foro ordinario renuntiare potuisse *arg. c. 1. X. d. for. compet. & l. 51. C. d. Episc. & Cleric.* posteriorum verò CC. (*puta post Innocentij 3. & Gregorij 9. constitutiones Canon. insolita II. quest. 1.*) jure prohibitum esse CC. & Dd. tenent *in c. si diligenti 12. & c. significasti X. d. for. compet.* ubi quidem Jac. Cujac. Juris Canonici rationem fucum & colorem potiùs, quàm rationem esse dicit. Ast quid in foro obtineat nobis híc indigitasse sufficiat.

XXX. Cum Lippis & Tonsoribus notum sit, ut habet Proverbium, Studiosos, eo nomine, quod horum scientiã totus illuminetur mundus, & ad obediendum Deo & Superioribus vita subjeetorum informetur, hoc inter cætera esse donatos privilegio, ut si Lis eis a quopiam moveatur, duos habeant Judices competentes, Rectorem puta vel Episcopum Civitatis, quorum alterutrum optare & eligere possint, *Auth. habita C. ne fil. pro patr.* in dubium vocatur, an huic Privilegio fori seu hifce Judicibus renuntiare, & alterius cujusdam Judicis incompetentis Jurisdictionem prorogare possint? Nos nihil obstare, quò minùs hoc possint, defensum ibimus.

XXXI. Communi verò Dd. elogio, nec Vasallum in controversiã feudali insalutato & invito Seniore seu Domino in Incompetentem Judicem consentire, ejusque jurisdictionem prorogare posse, statuendum est. Vergit quippe hoc in præjudicium Senioris, cujus multum interest, ne Vasallus ab ullo alio judicetur, *arg. textus in t. 55. §. ult. in fin. ibique Gl. & Dd lib. 2. Feud. Schrad. d. feud. p. 10. sect. 3. n. 95. Curt. Jun. tr. d. feud. p. 7. n. 28. & Rutg. Ruland.*  
*in ad-*

*in addit. & process. 10. Ferrar. Mont. p. 2. lib. 1. c. ult. §. tertium  
exemplum est, in fin.*

749.

XX XII. Et hoc adeò sanctè & religiosè observandum esse dicit Felin. *in c. ceterum. §. X. d. judic. n. 5. post pr. & n. 6.* ut etiamsi feudum sit Francum seu Liberum vel Improprum, Extranei tamen & incompetentis Judicis Jurisdictione ampliari & extendi in præjudicium Senioris, (cujus persona Vasallo sancta esse debet) non possit.

XX XIII. Præterea cum Senior seu Dominus feudi gaudeat hoc privilegio, ut Vasallus nullibi quàm coram suo Domino in quæstione feudali judicio pulsari & conveniri possit, à ratione haud erit absolum inferre, Vasallum ne alterius quidem Domini Jurisdictionem similem, in aliâ Causâ feudali habentis jurisdictionem, prorogare posse in Domini sui præjudicium & cõtemptum Schrader: *d. feud. d. p. 10. sect. 3. n. 101. cum aliquot seqq.* & Felin. *in c. 18. X. d. for. compet. n. 2.*

XX XIV. Perplexus quoque hujus quæstionis est Labyrinthus, utrùm in subditis diversorum Principum prorogatio locum obtineat? Aureo distinctionis ramo hæc expedienda quæstio. Vel enim favorabili Exemptionis beneficio (quo Archiduces Austriae, Electores & omnes augustæ domûs Saxoniae Principes fruuntur, cujusque cardo in eo vertitur, ut subditi eorum, neque in Camera Imperiali, neq; ullo alio Judicio, quàm coram suo Principe, conveniri possint) uterque Princeps, vel alteruter tantùm, vel denique neuter honoratus est. Priori & posteriori casu Prorogationi locum dabimus; alterò verò denegabimus.

XX V. Operæ jam pretium est, ut advortamus animum, an quævis Jurisdictione, h. e. tam Ordinaria seu Pro-

B 3

pria

pria, quàm Non-propria sive Delegata prorogari possit? Nobis in proclivi est cum Donell. *lib. 17. comm. I. C. 6. 10. adfirmare, omnem omninò Jurisdictionem Jure Civili prorogari posse: arg. d. l. 1. C. d. jurisd. l. 4. C. ubi caus. fiscal. l. 28. ff. ad municipal. l. 1. & l. 74. ff. d. judic.*

XXXVI. A partibus nostris stat & militat cùm Ulpianus *in d. l. 1. ff. d. judic.* cùm ratio, quod Judex Delegatus fungatur partibus & vice ejus, qui delegavit *l. 3. d. offic. ei. cui mand. est jurisd. & l. 16. ff. d. jurisd.* Quemadmodum igitur illius, qui delegavit, Jurisdictio prorogari potest; ita & ejus, cui ea delegata est, cum una eademque sit Jurisdictio, *arg. l. 1. §. 1. ff. d. t. d. offic. ei. cui mand. est Jur.* Cæteroquin, quoad Delegatæ Jurisdictionis Prorogationem, Jus Canonicum dissentit per text. *in C. cum olim 32. in med. & c. P. & G. 40. X. d. offic. & pot. jud. deleg. c. significantes. 34. cum duob. seqq. d. rescript.*

XXXVII. Quid de Mixto tenendum Imperio, an & hoc prorogabile est? Quidni? Cum & Merum, quod longe plus est, de consuetudine prorogari possit, non obstante, quod hoc nemini suo competat Jure, sed solius Legis speciali concessione habeatur *l. 1. ff. d. t. d. offic. ei. cu. mand. & Jur.* Nec enim Prorogatio novam confert Jurisdictionem, sed eam quam quis habet ampliat & extendit, *arg. l. 1. ibique Gl. & l. 3. C. de jurisd. Wosenb. in II. Digestor. eod. nu. 9.*

XXXVIII. Est quoque quæstionis, num & illa Jurisdictio, quam habent Commissarii & Camera Imperialis Revisores, qui à statibus Imperij, quos visitandi ordo tangit, delegantur & mittuntur, prorogari possit? Distinctione hîc inter Jus Civile & Canonicum res definienda videtur.

XXXIX.



XXXIX. Reliquum est dispicere; In quibus Causis prorogatio sit permiffa? Hic majoris certitudinis, & facili-  
 oris doctrinæ gratiâ distinctè progrediendum. Etenim  
 in Causis Civilibus & pecuniariis Prorogationi generali-  
 ter locum concedimus, si modò is, cujus Jurisdictio pro-  
 rogatur, similem in hujusmodi Causis habeat Jurisdi-  
 ctionem. Hoc enim Dd. Brocardicum pro Lapide Ly-  
 dio in materiâ Prorogationis probè tenendum: quod  
 Eum, cujus Jurisdictio prorogatur & extenditur, in ea-  
 dem causâ similem habere oporteat *arg. l. 1. ff. d. judic. &  
 Br. in l. 5. C. d. jurisd. omn. Iudic.*

XL. In Causis Criminalibus Prorogationem planè  
 fieri non posse præfractè tuentur *Speculat. lib. 2. p. 1. t. d.  
 compet. Iudic. & Hippol. de Marsil. in pract. criminal. §. expe-  
 dita. n. 67.* Verùm & in hisce causis prorogationi locum  
 dandum esse putamus, non quidem simpliciter & abso-  
 lutè, sed quoad præjudicium ipsius Prorogantis; non  
 quoad publicum Interesse, cui à Privatis renuntiari ne-  
 quit. Quare si criminis alicujus Reus in judicio electi  
 Judicis fuerit aut absolutus, aut condemnatus; nihilo-  
 minus in loco commissi delicti accusari poterit; *Gail. lib.  
 1. de pac. publ. c. 12. n. 15. versic. quod verò ante dictum.*

XLI. Insuper & hoc ad Prorogationem causis Cri-  
 minalibus faciendam requiritur, ut Accusator præsens  
 seu præstò sit, & accusatio instituat per Viam Accusa-  
 tionis, non autem per Viam Inquisitionis. Quam distin-  
 ctionem suppeditant *Felin. in d. c. 40. X. d. offic. & pot. deleg.  
 & Bl. in l. 1. C. ad L. Cornel. de Sicar.*

XLII. Causæ fractæ Pacis, quamvis sint è consortio  
 causarum Criminalium, Prorogationi tamen minimè  
 sunt obnoxia. Solum namque Imperatorem, vel supre-  
 mum



mum Romani Imperii Dicasterium Judicem agnoscent, nec alium quenquam admittunt: Gail. *d. lib. 1. d. pac. publ. d. c. 12. n. 13.* Et facit huc Regula in hac materia observanda etiam supra. *th. 39.* proposita: quæ in super & despiciatui habita sui ipsius est Ultrix. Actor enim ad alienum Judicium causam devolvens causam amittit, *arg. l. 5. C. d. Iurisdict. ibique Sich. n. 6.* Et hæc breviter de Prorogationis materia dicta sunt.

## COROLLARIA.

I.

*Judicium totius Jurisprudentia subjectum adequatum esse notabiliter docet Dn. D. Meierus p. m. in C. A. J. lib. 1. t. 5. thes. 1.*

II.

*Imperium Merum nec Civili, nec Canonico Iure, mandari posse adserimus.*

III.

*Imperatorem, quæ Imperatorem, & ratione Imperij Romano Pontifici subjectum esse, ext. 100. Imper. feud. amitt. vel ali. pro se fidel. dar. lib. 2. Feud. parum bene colligi arbitramur.*

J E H O V A !



X 2615926

VD.17







IVRIDICA

ATIONE  
TIONIS.

M 1633,3.

entoratenfium

A. A. 23

DE  
Consultifimo,

DAVIDE LOCA-

. Præceptore ac Fau-

tiæ cultu æternùm

ndo ,

ad diem 28. Mart.

oni submittit  
IUMMANNUS,

efius.

RATI,

DI WELPERI  
XXXIII,



IUS CIVILE

